

Franckesche Stiftungen zu Halle

Considerationes Modestae & pacificae Controversiarum De Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christi mediatore, & Euchariastia

Forbes, William

Helmstadii, A. MDCCIV.

VD18 11391456

Cap. IV. Eadem sententia fusius adhuc comprobatur.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598

em evomens, audes dicere: Ergo cineres suos amant animae martyrum, & circumvolitant eos, semperque praesentes sunt, ne forte, si quis precator advenerit, absentes audire non possint. Derisisse videtur Vigilantius eos, qui sanctos invocabant, ut ex illis duabus vocibus precatores & audire colligere licet. An enim precatores suos martyrum animae audire queant, nisi invocatae? Vnde, quo erat genio, Hieronymus, adeo acerbe hic eum excipit. Nihil falsius, nihil etiam B. Hieronymo magis injuriose affingi potest, quam quod a rigidioribus Protestantibus fingitur, eum dogmate quidem de intercessione beatarum animarum pro vivis a Vigilantio dissensisse, sed, quantum ad dogma de invocatione sanctorum spectat, ei plane assensum, &, ut in epte loquitur R. Crakanth. lib. saepe citato cap. 52. p. 330. totum vigilantianum hic esse.

CAP. IV.

Eadem sententia fusius adhuc comprobatur.

Priusquam, quae huic sententiae firmandae ex Augustino proferri possunt, loca adducam, operae pretium duco, ad locum quendam Augustini, in quo omnes ad unum hic dissentientes mirifice exultant, & tantum non triumphant, accurate respondere, (pag. 317.) *Nam ex aliquo Augustini rivulo quicquid refertur, inquit doctissimus episcopus elientis contra*

contra Bellarm. p. 46. *unica ejus sententia tanquam sole siccatur, quam habet in opere suo palmari de Civitate Dei lib. 22. cap. 10. Ad quod sacrificium martyres, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur: non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Qui minus autem a sacerdote, inquit elienensis, quam a populo? aut extra sacrificium cur liceat, quod ad sacrificium non licet? Quod non ad missam, cur ad matutinas? Quod aliqui licitum est, ecqua in sacrificio vis, vel altari, ut reddat illicitum? Vide & contra Perron. p. 37. Respondere solent Romanenses, & quidem vere, loqui Augustinum loco citato de invocatione in liturgia, & ad altare, ubi, cum sacrificium Deo vere offeratur, (licet in illius sacrificii ratione explicanda multi Romanenses errent, ut alias, Deo volente, demonstrabimus) invocatio ad solum Deum dirigenda est. Sic enim Augustinus ibidem scribit: Illi (gentiles scil.) talibus diis suis & templa aedificaverunt, & statuerunt aras, & sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem martyribus nostris non templa, sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificamus martyribus, sed uni Deo, & martyrum & nostro, sacrificium immolamus. Et statim post ista verba: Non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, inquit, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum: quia Dei sacerdos est, non illorum, Ipsum vero sacri-*

Hh

fium

ficiū corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Et de Civit. Dei, lib. 8. cap. 27. *Quis audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus, Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offerat Deo, qui eos & homines & martyres fecit?* Eadem legere est contra Faustum lib. 20. cap. 21. Unde in Canone missae post catalogum sanctorum subditur: *Et omnium sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio.* Pag. 318.)

Vbi non sancti, sed solus Deus invocatur. In liturgia, inquit Wicelius in Methodo concordiae eccl. cap. 5. de Eucharistia p. 19. *non oratur ad divos, sed ad Deum unum, ut is ob amorem, quo erga divos ardet, calamitatem nostram in hoc periculosisimo vitae salo clemens respiciat.* Et Augustinus ait serm. 17. de Verbis apostoli: *Habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitant ad altare Dei, ut ibi non pro ipsis oretur, pro caeteris autem defunctis oretur: injuria enim est orare pro martyre, cuius nos debemus orationibus commendari.* Vide etiam tract. 84. in Joan. ubi dicit: *Commendari martyrum orationibus, non est directe eos invocare, sed tantum rogare Deum, ut non nostris solum, sed ipsorum quoque pro nobis orationibus flectatur; ut, si non nostras, quae saepe frigent, illorum tamen ardentissimas pro nobis orationes audire dignetur.* In

In missa quidem catechumenorum, quae non est proprie sacrificium, in versiculis post lectionem obiter sancti directe compellantur; sed in missa fidelium, quae incipit ab oblatione, nunquam sancti directe invocantur. Vide Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 8. Immo in Synodo carthagenensi 3. can. 23. cautum est, ut, cum ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio: licet istud non propter necessitatem, quasi videlicet personam Filii vel Spiritus sancti ad altare compellere nefas sit, sed propter convenientiam factum sit; ut, cum in sacro illo mysterio commemoratio sacrosanctae illius oblationis, quae semet ipse Christus obtulit immaculatum, Deo & Patri, peragatur, ad ipsum quoque sacrificium precum nostrarum, & gratiarum actionis dirigatur: ut recte Cassander observat in fine Hymnorum eccles. p. 298. Nam alioqui in Canone missae Ecclesiae romanae in fine dicit sacerdos: *Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, & praesta, ut hoc sacrificium, quod oculis tuae majestatis indignus obtuli, sit tibi acceptabile.* Et 3. collectae ad Christum ipsum diriguntur, 1. *Domine Jesu Christe, qui dixisti,* 2. *Domine Jesu Christe, fili Dei vivi.* 3. *Perceptio corporis & sanguinis tui, domine Jesu Christe.*

Ex quibus omnibus liquet, cur in oblatione & invocatione sacerdotis ad altare sacrificali, nulla sanctorum interpellatio adhibeatur, ut ait Augustinus, extra sacrificium tamen ea uti liceat. Neque rejicienda est simpliciter distin-

Etio perroniana * orationis sacrificialis, & extra-
sacrificialis: sed interpellationem sanctorum
male ille orationem, si modo orationem pro-
prie sic dictam intelligat, appellat. (Pag. 319.)
Augustino autem martyrum invocationem non
improbari, quod loco citato, & rursus p. 51 episc.
elienlis affirmat, patet ex lib. de Cura pro mor-
tuis cap. 4. *Sed cum talia virorum solatia requi-
runtur, quibus eorum pius in suos animus appareat,
non video, quae sint adjumenta mortuorum, nisi ad
hoc, ut, dum recolunt, ubi sint posita eorum quos di-
ligunt corpora, eisdem sanctis illos, tanquam patro-
nis, susceptos apud Dominum adjuvandos orando
commendent.* Et paulo post: *Cum itaque recolit
animus, ubi sepultum sit charissimi corpus, & occur-
rit locus nomine martyris venerabilis, eidem marty-
ri animam dilectam commendat recordantis & pre-
cantis affectus.* Vide etiam cap. 15. & 16. *Mor-
tuos, inquit R. Montac. contra Biding. Antidi-
atrib. I. p. 21. vivorum rebus non interesse opinabatur
Augustinus, solertissimus omnium in fidei dogmatibus
discutiendis. Cum vero quaereretur, quomodo
tum martyres implorabantur? respondebat, aliter
dispensatum fuisse cum martyribus. Viam ergo
introducebat extraordinariam. Certum vult esse,
propter usum tum frequentiore, licet non de fide
definitum, martyres imploratos exaudire & ad-
juvare: sed quomodo adjuvent invocantes, definire,
ait, vires superare suae intelligentiae. Haec ille.
Quaquam, inquit Augustinus ista quaestio vi-*

res

* Orationis sacrificialis & extra-sacrificialis.] Vide p. 299.

res meae intelligentiae vincat, quemadmodum opitulentur martyres iis, quos per eos certum est adjuvari : *utrum per se ipsi assint uno tempore tam diversis locis, & tanta inter se longinquitate discretis, sive ubi sunt eorum memoriae, sive praeter suas memorias, ubicunque adesse sentiuntur; an ipsis, in loco suis meritis congruo, ab omni mortalium conversatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non praesentamur, nec ubi sint, nec quid agant, scimus.* Deus omnipotens, qui est ubique praesens, exaudiens martyrum preces, per angelica ministeria usque quaque diffusa, praebat hominibus ista solatia, quibus in hujus vitae miseria judicat esse praebenda, & suorum merita martyrum, ubi vult, quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad aedificandam fidem Christi, pro cuius illi confessione sunt passi, mirabili atque ineffabili potestate ac bonitate commendat. Res haec altior est, quam ut a me possit attingi, & abstrusior, quam ut valeat a me perscrutari. (Pag. 320.) Bucer candor hic placet, qui in Defens. Reform. christ. cap. 43. sic scribit: *Ea ratione & modo, quae caelesti eorum vitae consentanea est, orant sane pro nobis omnes sancti. Virum vero peculiariter id faciunt pro iis, qui ipsos invocant, vel memorias eorum honoribus afficiunt, vel ipsorum cognati aut affines sunt, an vero generaliter pro omnibus, ut pro electis D. N. J. Christi, id D. Augustinus fatetur adhuc sibi esse ignotum, quoniam sacra scriptura nihil de eo*

commemorat. Non dubitabat ille, quin Augustini seculo sancti ipsi invocarentur, licet non in oratione liturgica; neque tamen hanc ecclesiae vel piorum tunc temporis praxin damnassee Augustinum vel affirmat, vel etiam, si maxime affirmasset, unquam probare potuisset. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Populus christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum confocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum sacrificemus.* R. Montacut. in suo tractatu de Invocatione sanctorum, licet nullam non quaerat rimam, quae elabatur, ut clarissima veterum testimonia eludat, pag. tamen 214. 215. 216. respondere cogitur, dicta Augustini, quae pro sanctorum invocatione allegantur, immo paene omnia, quae in hanc sententiam ex veteribus produci solent, ex opinione tunc communiter in ecclesia recepta, loqui de *martyrum tantum intercessione vel invocatione, & quidem ad memorias eorum, vel in natali eorum die, i. e. in passionis die, quo martyres secundum vitam animalem ac temporariam orbi denascentes, vitam coelestem vivere coeperunt; inde autem colligi non posse, sanctos omnes in coelis viventes & angelos nobis interpellandos esse: speciali enim prae aliis omnibus saltem sanctis privilegio, ex probabili veteris ecclesiae sententia, in negotiis nostris procurandis gaudere martyres.* Laudo, quod ingenue martyrum saltem

sal
atu
clo
tam
rissi
in f
just
lan
emo
dit,
culp
porn
man
eare
aut
non
tyre
Vic
8.
reli
sula
ad
cele
ci h
ci a
ex
qua
bre

Et
slii

saltem invocationem admisisse Augustinum fateatur, sed angelorum atque aliorum etiam sanctorum compellationem piae vetustati probatam fuisse, perperam negat; ut ex praedictis clarissime constat. Doleo certe Joanni Barclaio in sua Paraenesi lib. 2. c. 7. p. 339. causam tam justam cum doctissimo elienthepisc hic expostulandi datam: *Serenissimi Britanniarum Regis elemosynarium hic, inquit, alloqui lubet. Illi Rex credit, Pag. 321.) alii multi credunt: & toties in culpa est, quoties alios in culpa esse facit. Videat porro, quanto errore negaverit, Augustino placere, ut martyres invocentur. In Respons. ad Apologiam card. Bellarm. cap. 1. sic loquitur: Augustino autem assentimur. Nam Augustino martyres non invocantur. Immo, inquit, invocantur martyres Augustino, nisi ipsi Augustino non credimus. Vide locum Augustini lib. 22. de civit. D. cap. 8. Florentinus, inquit hipponensis noster, homo religiosus & pauper, qui sartoris se arte pascibat, casulam perdiderat, & unde sibi emeret non habebat: ad viginti martyres, quorum memoria apud nos est celeberrima, clara voce, ut vestiretur, oravit. Locihisunt ex libris, qui certo sunt Augustini; loci autem, qui a multis aliis adducuntur, sunt ex scriptis dubiis vel supposititiis petiti. Aliorum quarti & quinti seculorum Patrum testimonia brevitate causa omitto.*

Quod autem Protestantes, privatas illas sanctorum compellationes, ut loquuntur, temporibus Basilii & Nazianzeni usurpari ceptas, tandem circa

tempora Gregorii *M. i. 6.* ante annos 1000. publicis litaniiis insertas fuisse, & non prius, affirmant, id exigui est momenti, cum primo non Gregorii magni demum, sed Patrum etiam anteriorum seculorum, graecorum & latinorum, doctissimorum juxta ac sanctissimorum, temporibus, publice cum inscriptum in concionibus usurpatae & probatae fuerint istiusmodi compellationes, ut demonstratum est. Secundo narrat Walatridus Strabo lib. de Rebus eccles. cap. 28. litaniam sanctorum, post eusebiani Martyrologii epitomen, a D. Hieron. latine factam, credi in usum assumptam; vel potius, ut alii Strabonis mentem explicant, ante conversum ab Hieronymo Eusebii Martyrologium, tanto numero quidem sanctos in litania recensitos non fuisse: tunc enim praecipui tantum aliquot, ut B. virgo. & alii, & qui in unoquoque loco celebriores erant, nominabantur, caeteri universe compellabantur. Editio vero Martyrologio plurimum nomina, quod in Gregorio, cordubensi episcopo, in concilio episcoporum a Theodosio imperatore laudatum idem Strabo refert, memorari coeperunt. Vide Serar. de Litaniiis lib. 1. cap. 4. aliosque. Denique multis jam seculis in universa ecclesia, in oriente non minus quam in occidente, etiam in aquilone apud Muscovitas, (Pag. 322.) litania est decantata; ut puta, *S. Petre, ora pro nobis.* Totius autem ecclesiae universalem consensum spernere aut damnare, res est longe periculosissima.

Certe

com
qui
in c
tra
fen
con
den
Ge
adh
un
stit
corp
cinn
Ert
ren
scia
sum
stor
gat
one
dico
dos
mon
dele
car

foff
file
san

Certe melius & modestius de hac sanctorum compellatione, in reformationis principio, praecipui quidam Protestantium senserunt & scripserunt. Si in ea sententia, quam initio cum veteri ecclesia communem habebant, permansissent, atque intra abusuum tantum reprehensionem constitissent, melius fortasse auctoritati & paci ecclesiae consuluissent; ut sapienter admonet G. Cassander in Consult. art. 21. M. Lutherus in epist. ad Georgium Spalatinum anno 1518. scripta, quae adhuc extat: *Mi Spalatine*, non fuit mens mea unquam, venerationem sanctorum esse superstitiosam, neque invocationes eorum pro causis vel corporalisimis. Hoc enim sapiunt haeretici illi vicini nostri Picardi in Bohemia, &c. Et in epist. ad Erfurdienfes anno 22. *Sinite*, ut divorum implorent nomina, quando ita volunt, ea tamen lege, ut sciant, sibi cavendum, ne quam fiduciam & praesumptionem, persuasionem falsa indueli, in ullum sanctorum ponant, sed in solum Christum. Et in Purgatione quorundam articulorum: *De intercessionem sanctorum cum tota ecclesia Christi sentio*, & iudico, sanctos a nobis honorandos esse, atque invocandos. Et de Praeparatione ad mortem: *In mortis articulo B. virginem, suum angelum, & delectum a se apostolum, & sanctos reliquos invocare non cesset, ut pro se intercedant ad Dominum.*

J. Oecolampad. in annotat. in ferm. Chrysost. in Juventinum & Maximum martyres, Basilicae excusis anno 1623. p. 163. *Sunt, qui de sanctis volunt nihil audire aliud, quam quod dormi-*

H b s

ant

ant & quiescant in Christo, expectantes revelationem & diem D. N. F. Christi, recepturi tunc utramque solam simul: nunc neque intercedant, neque si intercedant, quod aegre admittunt, invocandi sint. Interpellandi officium dicunt solius Christi esse, & nusquam scripturam nos adhortari, ut sanctos precibus nostris imploremus. Neque enim huc quadrat illud ultimi psalmi, Laudate Dominum in sanctis: illud ex Job, Convertere ad aliquem sanctorum, Habet opinio haec aliquid haud contemnendum, cui refragari fas non fuerit. Attamen ei per omnia nequaquam accesserim. Neque enim intercessionem sanctorum inficias ierim: Pag. 323) neque impiorum & idololatrarum esse asseveraverim, cum illis implorare patrocinia sanctorum. Caeterum precor votis omnibus, ut praetercursis sanctorum atque angelorum omnium, quae in medio sunt, cunctis agminibus, summa fide & alacritate, ad ipsum angelorum regem & caelorum conditorem contendamus. Quamvis a nullo exigere ausim: fidem enim ad mensuram cuique Deus ipse suppeditat; optarim tamen. Et p. 166. 167. Sancti quoque in caelis sua charitate flagrant, non desinunt pro nobis intercedere. Quid igitur mali, si hoc petamus fieri, quod credimus Deum velle, etiamsi nihil tale praeceperit? Quid mali, si & commendemus patrocinia sanctorum, modo id circumspicte, opportune & modice fiat, pro auditorum qualitate? Id quod hic agit Chrysostomus, & Nazianz. quoque in laudibus Cypriani. Et observant hoc ferme omnes ecclesiae, tam orientis quam occidentis,

M.Bu.

N
cen
in se
in n
chan
prae
De
si si
In
trib
De
pro
lo
me
dum
inv
me
qua
scri
vot
bus
affe
div
Chr
quo
tia
scil
fati
*E

M. Bucerus in Defens. contra *episcop. abrin-
censem: *Si quis, inquit, perpensa infinita illa Dei
in sanctos indulgentia & facilitate, & simul illorum
in nos miseros adhuc conservos suos & commembra
charitate, animi ardore huc prorumpat, ut illos cen
praesentes praesens appellet, proque se intercedere ad
Deum roget, id, licet in nulla scriptura doceatur,
si sic tamen fiat, nulli damnamus. Et postea:
In animis, inquit, sic comparatis, uti videmus, nihil
tribui humanis meritis, sed omnia misericordiae
Dei, & redemptioni D. N. J. C. ita quod divos, ut
pro se orent, invocant, licet id faciant absque ul-
lo & sensu & exemplo scripturae, damnare ta-
men non possumus. Atque hunc solum in mo-
dum videmus orthodoxis Patribus sanctorum coelium
invocationem usurpatam & traditam. Et in com-
ment. in ep. ad Rom. cap. 8. p. 413. Intercessio,
quam pridem divi tribuunt ecclesiae, non potest ex
scripturis statui aliud esse, quam perpetua illorum
vota de nostra redemptione consummanda. Qui-
bus fidere ex se impium, quaerere ea, incertum est:
affectus tamen salutis, qui eo usque sese attollit, ut
divorum quoque intercessionem in Christo, non prae
Christo, quaerat, non excoitiens, quam certum fit,
quo feratur, damnari non debet. Et hoc reveren-
tiae detulisse veterum observationi hac in re, quae
scilicet usu, nullo autem oraculo scripturae inolevit,
satis fuerit.*

Joachi-

*Episcop. abrinensem] Qui fuit Rob. Coenalis sive, ut alias
scribitur, Cenalis vel Senalis, primo episc. regiensis, dein
abrinensis seu arboricensis, Vide Koenigii Biblioth. V. &
N. p. 180. & 746. & Hydii Catal. impressor. libr. bibl.
bodl. part. I. p. 179.

pag. 324.) Joachimus Camerarius, vir doctissimus, in lib. de Pii catholicae ecclesiae precibus, cum de sanctis hominibus jam Christo fruentibus loquitur: *Pia, inquit, affectio erga illos, & votum communium precum, non potest, ut opinor, damnari: cum neque adversetur doctrinae veritatis caelestis, & exempla vetustatis extent.* Quem locum adducit Cassander in Defens. libri de Officio pii viri pag. 847. Orationem illam in canone missae, *Omnium sanctorum tuorum precibus concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio,* Phil. Melanchthon in Consilio de moderandis controversiis religionis, scripto ad Gallos anno 1535. *intolerabilem non esse censuit: Docti, inquit, de hac forma deliberare possunt.* Vide etiam partem primam Consil. theol. p. 234. Rich. Fieldus in Appendice ad lib. 3. de Ecclesia pag. 223. edit. ult. asserit, *nihil continere, quod a Protestantibus improbetur.* Th. Mortonus Appellat. cathol. lib. 2. cap. 12. sect. 2. pag. 227. *nullum in eo idololatriae periculum inesse posse, cum non ad sanctos directe, sed ad Deum dirigatur.* Audiatur etiam super hac re auctor Enchiridii colon. in Decalogum pag. 253. *Si rem acutius perpendamus, tota contentio (modo absit superstitio) in verbis tantum sita est. Convenit enim, & absque controversia est, sanctos, qui in Domino obdormierunt, sedulo & continue orare pro nobis, veluti unius ejusdemque corporis membra, qui nostram salutem, sine quibus consummandi non sunt, expectant & desiderant. Alioqui articulus de sanctorum communionem symbolo fidei eximendus erit,*

aut

aut
qu
pro
pre
pet
mu
com
plic
tine
exci
dat
bis
nion
illi p
& s
in li
dun
pos
pon
cibu
suba
& h
tur
fide
tanq
van
inspe
ram
ve d
pro
nos

aut ecclesia triumphans a militante rescindenda ;
 quod plane christianae aures abhorrent. Jam quid
 prohibet, ut, quos sedulo pro nobis Deum de-
 precari scimus, eorum etiam precibus concedi
 petamus, ut in omnibus divinae protectionis
 muniamur auxilio? Certe non poterit nobis fructus
 communionis sanctorum ecclesiae triumphantis ap-
 plicari, quemadmodum nec alia, quae symbolo con-
 tinentur, nisi per fidem, quae piis votis ac desideriis
 excitanda est. Ergo etsi nihil sanctis hinc acce-
 dat, quod eos interpellamus, ut Deum pro no-
 bis deprecetur, tamen eo ipso fidem commu-
 nionis sanctorum in nobis excitamus, ut, quod
 illi pro nobis assidue faciunt, nobis etiam applicetur,
 & salutare sit: Pag. 325.) quemadmodum Aug.
 in lib. de Cura pro mortuis dicit, non contemnen-
 dum esse affectum morientis, qui desiderarit,
 post obitum corpus suum in basilicam martyris
 poni, si quidem is crediderit, animam suam pre-
 cibus martyris adjuvari. Hoc enim, quod (ut
 subdit) ita credidit, supplicatio quaedam fuit,
 & haec profuit, si quid profuit. Non respuit igitur
 ecclesia, quicquid citra injuriam Dei fit, quo
 fides in nobis excitatur, veluti cum sanctis nos,
 tanquam patronis, post Christum apud Deum adju-
 vandos orando commendamus: Deus enim cordis
 inspector est, & voti pietatem examinat, non structu-
 ram verborum. Nam quid refert apud Deum, si-
 ve dicamus: Scimus o Deus, S. Petrum orare
 pro nobis; ejus itaque precibus concede, ut
 nos tuae protectionis auxilio muniamur: quam
fidi-

si dicamus : S. Petre ora pro nobis ; nisi quod, quantum ad nos attinet, cum sanctos nominatim appellamus, non solum fidem, sed etiam mutuae charitatis affectum exprimimus, persuasum habentes, apostolos & martyres, qui adhuc in corpore constituti, & voluerunt & potuerunt pro caeteris orare, nunc tanto magis pro nobis esse sollicitos, quanto post coronas, victorias & triumphos nos ardentiori charitate complectuntur ? Haec omnia ille.

If. Casaubonus in Resp. ad epist. card. Perironii pag. 929. Respondet Rex: Primis nascentis ecclesiae temporibus, alium praeter unum Deum opt. max. fuisse orari solitum, demonstrari omnino haud posse. Postea morem esse introductum orandi ad memorias martyrum, ac paulatim coepisse apostrophas fieri ad sanctos, extra Dei cultum: optari etiam & vota fieri, non ad illos quidem primo, sed ut illi Deum orarent. Quod si hac fine exempla nova stetissent, ne rex quidem illorum temporum consuetudinem vehementer reprehenderet: certe non ita damnaret, ut quod postea receptum est moribus. Et pag. 930. Postremo seculi illius (quarti scilicet) morem inter utilia aut licita si admiserunt pii Patres: (sed cur dubitanter hac de re, de qua pii illi Patres nunquam dubitarunt, loquitur Casaubonus?) at inter absolute necessaria ad salutem, nunquam profecto posuerunt. Sed nec doctiores Romanenses hoc asserunt.

Jo. Gerhardus Loc. theol. tom. 8. de Morte n. 377. Sciendum est, inquit, non esse quaestionem, de

de r
mon
ris a
do a
liter
suas
stran
nec
simp
eam
non
amp
stris
ut L
qvo
fira
la e
sum
ei T
cula
nec
exte
est,
exe
gen
comp
voca
prop
qve
scan
dus

de nuda sanctorum compellatione, qva sancti moneantur & invitentur, ut pro Ecclesia in terris adhuc militante orent, (Pag. 326.) *quomodo a piis in his terris viventibus vel coram vel per literas petimus, ut pro nobis apud Deum intercedant, suas preces nostris conjugant, iisdemque salutem nostram fideliter commendent. Quamvis enim, inquit, nec hanc defunctorum sanctorum compellationem simpliciter probemus, (neque tamen simpliciter eam damnare audebat; sed rationes ipsius, cur non simpliciter probet, audiamus) cum illi non amplius, ut sancti in terris adhuc viventes, rebus nostris intersint, (esto: rogamus tamen non frustra, ut Deum pro nobis orent ex charitatis affectu, quo ipsi in nos feruntur, & ex eo rerum nostrarum sensu, quem habent. De generali nulla est controversia. Quod ad particularem sensum attinet, non rogamus nisi hypothetice, ei tunc est. Multa etiam scire possunt in particulari, de quibus nobis nihil certo constat) nec de tali compellatione praeceptum vel exemplum extet in scriptura, (atqvi res tantum adiaphora est, ac proinde nullum de ea praeceptum vel exemplum in scriptura extans, necessario exigendum est) cumque periculum subsit, ne ex tali compellatione absensium ad religiosam eorundem invocationem fiat progressus: (sed non continuo propter periculum abusus, aut abusum etiam, quem re ipsa cernimus, legitimus rei usus cum scandalo totius ecclesiae tollendus aut damnandus est) tamen ex praxi & confessione Pontificiorum*

runz

rum constat, eos non esse tali sanctorum compellatione contentos, sed religiose eosdem invocare. Sed de erroribus quorundam Romanensium hac in re, cum Deo, capite sequente dicemus.

Fr. Whiteus contra Fisherum jesuitam in ipso disputationis suae hac de quaestione vestibulo p. 288. timide sic scribit: *Etsi daretur, modum quendam petendi aut compellendi sanctos & angelos, ut nobiscum sint comprecatores, & pro nobis apud Deum intercedant, licitum esse;* (citatur hic ad marginem verba Alex. hal. 4. qv. 26. m. 2. artic. 3. de quibus vide supra, & Bucerii verba in Rom. 8. pag. 323. a nobis allegata, quibus diserte affirmatur, veterum observationem hac in re damnari non debere) *invocatio tamen eorundem, juxta Ecclesiae romanae praxin, approbata non est.*

R. Montacut. unus tunc ex Canonicis vin-
desoriensibus, coram rege Jacobo VI. tractans
verba illa psal. 50. 15. *Invoca me in die tribulationis, &c.* (pag. 327.) & sanctorum atque
angelorum absentium invocationem stultitiae
saltem & fatuitatis damnans pro concione, ipso-
met confitente in tract. de Invocatione sanct.
p. 96. & impotenter hic in archiepiscopum
spalat. qui concioni tunc interfuit, debac-
chans, ac mirifice paratragedians, haec dixit:
De angelo custode fortassis ampliandum. Non quia,
ut ait ipsius hyperaspistes R. Crakanth. contra
archiepisc. spalat. c. 18. p. 375. *prolixiorum tra-*
ctatum res haec desiderabat, aut quia cum in ange-
lo custo-

lo custode major sit Pontificiis & spes & species in hac invocationis causa, ampliore quoque de orationem, quam temporis illius angustiae paterentur, habendam censuit: sed quia, ut ipse disertè mentem suam loco praedicto explicans dicit, cum opinione sit recepta, & quidem jam diu recepta fuerit, licet de fide non sit, unumquemque saltem justum angelum custodem habere, atque hunc praesentem semper adesse ex Dei mandato & deputatione, nihil absurdi esse existimabat in natura, neque analogiae fidei, aut scripturis ullo modo adversari, multo minus impium esse, dicere, *Sancte angele custos, ora pro me*, hoc scilicet supposito, quod dictum est, & quod Patres semper maxime probabile esse censuerunt. Vide pag. 97. & seq. *Sed salus reip.*, inquit, *non vertitur in istis*. Idem ibid. pag. 183. respondens ad factum Justinæ virginis a Nazianzeno orat. in Cyprianum memoratum, quæ primum ad Deum confugit, sponsum suum Christum defensorem assumit, denique virginem Mariam rogavit, ut periclitanti virgini opem ferret, &c. *Hanc*, inquit, *Romanenses compellans, libertatem nobis concede, & licet vobis jam non movemus. Si illi (Romanenses) hoc facerent ipsimet, & proselytos atque novitios suos in omnibus necessitatibus docerent facere, quod fecit virgo haec, ad Deum scilicet, & Christum primo confugere, & deinceps ex abundantia, sive adjuvent sive non adjuvent, in auxilium advocare B. virg. Mariam, S. Petrum, S. Paulum, & tunc aliis, ut loquitur nazianzenus, non con-*

tenderemus. In Ecclesiae romanae praxi res longe aliter se habet. Haec ille.

Sed his missis, audiamus iudicia theologorum moderatorum, & concordiae ecclesiasticae apprime studiosorum. (Pag. 328.) Erasmus Ep. lib. 25, in ep. ad J. Sadoletum episc. carpentoract, pag. 984. *Constat, nullum esse in divinis voluminibus locum, qui permittit invocare divos, nisi fortassis huc detorquere placet, quod dives in evangelica parabola implorat opem Abraham. Quamquam autem in re tanta novare quicquam praeter auctoritatem scripturae merito periculosum videri possit, tamen invocationem divorum nusquam improbo, nec improbandam sentio, modo absit superstitio; quam aliquoties noto, nec id sine causa. Et de Amabili ecclesiae concordia: Religiosi affectus est, credere, sanctos nonnihil apud Deum precibus suis posse. Ac quibus diversa sedit opinio, pura mente, sinceraque fide invocent Patrem, Filium & Spiritum S. nec obturbent odiose iis, qui citra superstitionem implorant divorum suffragia. Superstitio, quam fateor in invocatione & cultu divorum esse plurimam, tollenda est. Pius ac simplex affectus interdum tolerandus est, etiamsi sit cum aliquo conjunctus errore: ut enim nostra vota non sentiant divi, sentit tamen Christus, qui & amat simplices animas, & si minus per sanctos, recte pro sanctis dabit nobis, quae petimus.*

Andr. Fricius, cujus aliquoties nobis mentio supra facta est, lib. 4. de Ecclesia cap. 11, citatis hisce ultimis Erasmi verbis sic loquitur: *Quam obrem*

obrem
tem
est,
ita
in r
ex a
cati
vis
tem
per
suq
sens

lica
Her
dec
i. x
qua
ries
run
tum
eath
est.
In
& b
Rat
stic
gm
rita

obrem moderate mihi & scienter Erasmus hanc sententiam sic temperasse videtur: Religiosi affectus est, &c. Et in fine capituli: Cum igitur multi sint ita instituti, ut in causis religiosis acquiescere nulla in re possint, cujus demonstrationem habere non queant ex divinis eloquiis: par fuerit, ut sanctorum in vocatio aut autoritatibus bibliorum confirmanda sit clavis & certis: (sed * nullam esse hujus rei necessitatem, saepe nobis dictum est) aut arbitrio cujusque permittenda, nec quisquam ad eam cogendus: sique de earum quaestionum numero, in quibus cuique sensu suo abundare liceat.

Episcopi Ecclesiae anglicanae in Pia & catholica christiani hominis institutione tempore Henrici II. edita, in explicatione praecepti decalogi tertii: Caeterum precari sanctos, ut nobiscum apud Deum ac pro nobis intercedant in his, quae a Deo petimus, quaeque a Deo solo nobis conferri expectamus, modo non eos, ut ipsorum donorum & gratiarum datores, sed intercessores tantum veneremur, vetustissimo simul & perpetuo catholicae Ecclesiae usu receptum & approbatum est.

(Pag. 329.)

In libro Caesari tradito a quibusdam viris doctis & bonis ad promovendam conciliationem, &c. Ratisb. an. 1541. (vide apud Goldastum Constitut. imperial. tom. 2.) artic. 19. qui & dogmata quaedam continet, quae Ecclesiae auctoritate declarata & firmata sunt: Nec damnandum

li 2

est,

* Nullam esse hujus rei necessitatem.] Vide hic p. 300, 305, 323, 326.

est, inquit, si quis religiosa quadam pietate, & animi quodam errore, in commemorationem tam intimae nostrae cum sanctis in Christo unionis, eos etiam nominatim appellat: sed extra preces, quae ad altare offeruntur, in quibus ad solum Deum Patrem per Christum dirigenda est oratio, ut habet Concil. carthag. 3. sic tamen ut rota fiducia in solum Jesum Christum omnis boni auctorem reponatur, & nihil, quod Deo proprium est, sanctis tribuatur, tantum vero ut conservi, (qui iam meruerunt fieri supernorum civium consortes) non secus quam qui nobiscum adhuc in carne sunt sancti Dei homines, ad iuvandas nostras preces apud Deum implorentur. De Georgii Cassandri sententia, ex supradictis facile cuius constat. Vide Consultat. art. 21. Defens. libelli de officio pii viri p. 849. & epist. 19. quae est ad Joan. Molinaeum.

De sententia G. Wicelii lege Dissertationem ejusdem super hoc argumento Lipsiae impressam anno 1538. Et Method. concord. c. 14. Quid vero, inquit, consilii dabitur, ut non prorsus sublata intercessione sanctorum, amicitia inter nos sancta fiat? Ecclesiastici ponant modum dogmati suo, & non faciant articulum symboli ex pia persuasione. Partes non vociferentur impium, quod est probabile, nec obturbent cupientibus suis precibus intercessionem coeli civium accedere. Aequa, ni fallor, haec conditio est, quam si utrique accipiant, atque eam non refugiant, pax est.

Archi-

20.
loqv
sanct
pura
ex P
mon
depr
tes c
aliqu
sanct
deni
exen
resp
nus
Aos
tanc
hori
doru
cant
peri
lolat
ac
Aus
vero
te u
peri
sed
J
tis:

Archiep. spat. l. 7. de Rep. eccles. c. 12. n. 20. & aliquot seq. invocationem humanam, & ut loquitur, civilem angelorum, B. virg. Mariae, & sanctorum in caelis beatorum, antiquam Ecclesiam puram adhuc & incorruptam usurpasse, fuisse probat ex Patribus; licet quaedam, quae allegat, testimonia, ex scriptis tantum dubiis, vel supposititiis deprompta sint. Et n. 27. ad ea, quae Protestantes communiter objectant, quod scilicet absque aliqua aut Dei aut Christi injuria non fiat, quod sanctorum animae nostras invocationes non audiant, denique quod nullum sit scripturae mandatum, vel exemplum, aut promissio de invocatione sanctorum, respondet, & n. 28. docet, quo sensu Augustinus de Civ. Dei l. 22. c. 10. negaverit sanctos a nobis invocari. (Pag. 330.) Et tandem partes ad mutuam tolerantiam sic hortatur: Ne ergo propter hunc invocationis sanctorum ritum schismata fiant. Qui sanctos invocant, caveant, & plebem instruant saepissime, ne adsit periculum indebiti & illiciti sanctorum cultus idolatrici, & bene has invocationes perpurgent, ac sanctorum invocandorum habeatur delectus, cum sola canonizatio papalis non sufficiat: qui vero invocationes hasce abjecerunt, ne illas absolute ut in se malas damnent, si caute fiant, sed ut periculosas omittant, & neutri alteros abjiciant, sed cum charitate tolerant. Sic ille.

J. Barnesius in libro & loco* supra memoratis; Bonum est, quandoque rogare sanctos, ut Deum

li 3

pro

* Supra] Pag. 285.

pro nobis orant ex affectu humanitatis, quo ipsi in nos feruntur. Et ex praxi interpellantium sanctos, non est necesse inferre, eos nos certo audire. Satis est, interpellatores eorum pie id credere, se ab illis audiri. Et theologi docent, ad actum virtutis moralis, qualis est religio, sufficere, pie credere, quod adsit objectum, circa quod versatur, ut ad exercitium elemosynae, satis est credi, illum esse pauperem, qui stipem mendicato petit: esto, pauper non sit. Ita ut conversemur cum sancto, sat est, pie credere, eum rerum nostrarum curam gerere. Credulitatis hujus suspiciones non desunt probabiles. Vide reliqua, quae subdit, supra p. 285. 298. & auctorem Examinis pacifici, cap. 1. p. 10. versionis anglicanae, item auctorem libri de Traditionibus catholicis, quae est. 40. ubi invocationem sanctorum nec scripturis repugnare, neque etiam inanem & inutilem esse, licet sancti omnes interpellationes nostras non cognoscant, ex mente orientalis Ecclesiae ostendit; immo ritum hunc ab antiquitate in universali ecclesia receptum esse, affirmat. Vide etiam finem tractatus pag. 233. 234. ubi controversiam hanc, inter orientalem Ecclesiam praesertim & Protestantes, in verbis tantum litam esse judicat.

CAP.